



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488153

Pro die octava Meditatio prima. De Christi prædicatione, & vita publica.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60272)

tacito stomacho concoquant, nemo dat, quod non habet: qui non ardet, non accendit. S. Gregorius.

Veniam nunc pete à Deo, si & tu de tribu illorum fores, qui factis & exemplo evertunt, quod verbis extruxerant; & Christo sanctè promitte, te semper contrarium fore mundi canonibus, & dictaminibus, exemplo imprimis, & imitatione Christi, deinde etiam verbis, instruendo, concionando &c. Finem imponat toti meditationi ad implorandum Divinum auxilium sequens oratio:

Deus, qui generi humano Filium tuum unigenitum Doctorem vitæ tribuisti; da nobis quæsumus, & quæ docuit, intellectu conspiciere, & quæ egit, imitatione complere; Per eundem Dominum nostrum Jesum Christum &c.

Dies octava.

Meditatio decima quinta.

De Christi predicatione, & vita publica.

Peractâ solitâ oratione præparatoriâ formabis tibi sequentia duo præludia.

Pri-

Primum esto, ut tibi imaginaris te videre Christum peditem circumcurrere civitates, oppida, villas, castella, casas Judææ prædicando, & divulgando doctrinam Evangelicam, instruendo & docendo populos, præcipuè suos Apostolos, ut eos in totius mundi Magistros efformaret: concurrere turbas undique suavitate verborum, & Divinâ ejus eloquentia & multitudine ac magnitudine miraculorum attractas.

In secundo præludio rogabis Deum, ut in corde tuo accendat ardentem zelum animarum, & alienæ salutis: quem in finem hoc vel simili modo Deum alloquere: *zelus domus tuæ comedat me, & opprobria exprobrantium tibi cadant super me.* Ps. 68. vel ita: *Non nobis Domine, non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Ps. 113. Et hæc pariter sint orationes jaculariæ hoc tempore matutino.

Meditatio in hæc tria puncta dividatur. 1. Quis finis; 2. quæ media. 3. quis fructus fuerit prædicationis Evangelicæ à Christo susceptæ.

Punctum primum.

Considera, Christum toto triennio, quo suam promulgavit Evangelium non alium habuisse finem, nil spectasse aliud, quàm majorem Dei gloriam, & salutem animarum; simulque teipsum in quæstionem voca, & exami-

examina, an & tu in tuis functionibus Ecclesiasticis omnibus unicè spectes, & quæras Dei gloriam, & salutem proximi, cum in hoc officio, sis & Christi successor.

1. Christus in doctrinæ suæ Evangelicæ promulgatione quærebat non suam, sed æterni Patris sui gloriam, & omnem, qui Humanitati suæ exhibebatur, honorem ad ejus referebat gloriam, à quo missus fuerat: ita de seipso testatur: *Non quero gloriam meam, sed ejus, qui misit me.* Joan. c. 8. Itaque non venabatur in suis concionibus auditorum vanos applausus, laudes, admirationes, mercedem, promotiones ad sublimiores gradus, licet reipsa vel maximè mereretur extolli laudibus, affici summis honoribus, excipi justis plausibus, & remunerationibus: Hæc, & his majora merebatur tum ob dotes naturales suæ Humanitatis, tum & longè magis ob ejus dotes supernaturales, quibus summam adjungebat dignitatem, & pretium persona Verbi hypostaticè unita naturæ humanæ, causa & origo unica, ob quam omnes ejus operationes erant & dicebantur verè theandricæ.

Suavis & amabilis cum hominibus agendi modus Christi, amor, & cordis teneritudo, qua peccatores in gratiam rursus admittebat, beneficia, quibus omnes passim etiam miraculis in subsidium vocatis cumulabat, quacunque transiret, *pertransit benefaciendo,* & *sanando* Act. c. 10. Sinceritas, & rectitudo cordis,

cordis, quam in omnibus suis actionibus demonstrabat, illud elogium omnibus expressit: *benè omnia fecit*. Marc. 7. poterant hæc facile Christo tantum laudis & gloriæ apud homines parere, quantum ambitiosissimus quisque ne quidem desiderare; ne dicam sperare poterat: Verùm ille omnis huiusmodi gloriæ incurius, quin & contemptor, unicè curabat gloriæ æterni sui Patris, sibi reservans contemptum, derisiones, labores, dolores, mortem ipsam. An nunc tibi non videtur Christus ut homo, exactè adimplesse omnes partes fidelis, & unicè commodo, & honori, sui domini nullatenus autem suo proprio invigilantis servi?

Quando à dæmone supra pinnaculum templi elevatus, ita se compellari audiuit: *Si filius Dei es, mitte, te deorsum*. Matth. c. 4. tentatio fuit ad aucupandam vanam gloriæ, ut observat S. Cyprianus Episcopus: *putabat malignus, quem gulâ non vicerat, vanâ gloriâ superare*. Sed non permisit se hoc fatuo vanæ gloriæ splendore deludi; nam pro scopo & fine suo non habebat suam propriam, sed Divini Patris sui gloriæ: *Non quero gloriæ meam, sed ejus, qui misit me*. Joan. c. 8.

2. Alter, & primo subordinatus finis, qui Christum ad prædicandum Evangelium impellebat, erat salus animarum. Sic nos sacer codex non semel, sed sæpius monet: *venit Filius hominis querere, & salvum facere, quod*

quod perierat Luc. c. 19. Christus venit in hunc mundum peccatores salvos facere, 1. ad Tim. c. 9. Nunquid in suo prædicationis officio unquam temporale aliquod lucrum, vel se, & suos, quantumvis egenos, ditare, aut exaltare quæsit? & quamvis aliquas eleemosynas à piis hominibus vel peteret, vel ultrò oblatas admitteret ad sustentandam vitam necessarias; quamvis quandoque ad convivia, ad nuptias invitatus compareret; quamvis commoraretur quandoque in domibus Zachæi, & Magdalenz jam ad frugem reductæ; non tamen hæc spectabat, aut quærebat ut finem, ne quidem ut causam impulsivam, aut stimulum aliquem suæ Evangelicæ prædicationis.

Quod unicè spectabat, & quærebat erat salus animarum, præcipue animarum peccatricum, & præ aliis ope medici indigentium, quamvis non mererentur ea charitatis & misericordiæ officia; quæ ipsis benignissime exhibebat: nec dedignabatur cum ejusmodi peccatoribus agere, quamvis sui essent inimici, quamvis creare ipsi possent nauseam & horrorem, aliqui propter scetentes ac pestilentes corporis, alii autem longè magis propter purulentas animi plagas, & lethales infirmitates: nec alia opus erat causa, aut invitatione, ut accurreret, quàm ut ipsi innotesceret, ejusmodi ægrotos opus habere ejus manu medica, nempe ut eos instrue-

T
ret,

ret, dirigeret, & in securam salutis viam deduceret.

3. Jam te ad strictum examen voca, & à temetipso exquire, an Dei gloria, & salus hominum sint unicus finis, propter quem omnia onera statui Ecclesiastico annexa libenter portas, & munia exequeris, qualia sunt ad aram sacrificium incruentum offerre, confessiones excipere, rudes & ignorantis instruere, sana suppeditare consilia dubitantibus, assistere moribundis, & alia his similia.

Non utique in censum illorum venis, qui per hæc sacra ministeria, & obsequia quarunt gloriam propriam, quos D. Gregorius L. 17. Mor. c. 17. vocat adulteros Ministerii Ecclesiastici, dum explicat illa verba Apostoli 2. ad Cor. c. 17. *Plurimi adulterantes Verbum Dei.* Maritus legitimus proles legitimæ generationem quærit & intendit; adulter quærit solum turpem delectationem, & belluam voluptatem. Verus & genuinus Ecclesiasticus conatur procreare filios spirituales legitimos, qui promoveant divinam gloriam, juxta Apostoli descriptionem 2. ad Cor. c. 4. *In Christo Jesu per Evangelium ego con- genui.* Sed Ecclesiasticus ambitiosus in suis ministeriis, & functionibus sacris non aliud quærit, quam vanam illam delectationem, quam capit ex hominum laudibus, & plausibus, quapropter ab Ascetis, & sanctis Patribus

tribus jure merito vana gloria vocatur luxuria spiritualis.

Novam aliam malitiam in ejusmodi ambitiosis Ecclesiasticis detegit S. Augustinus, dum illos vocat latrones & sicarios divini honoris. In sacris istis ministeriis duo considerata veniunt. Primum est ex his profluens utilitas sive meritum; alterum est splendor honoris ac gloriæ. Primum Deus cedit nobis, alterum sibi vendicat. *Soli Deo honor, & gloria. 2. ad Tim. c. 2.* Sed homo Ecclesiasticus inanem vanæ gloriæ & propriæ æstimationis fumum patulo captans rictu primum, id est, meritum amittit, & secundum, id est honorem ac gloriâ Deo suffuratur.

Contra hos Ecclesiasticos, qui non Dei gloriam, & animarum salutem, sed se, & sua duntaxat quærunt, videtur Christus justas illas querelas effudisse: *fur non venit, nisi ut furetur. . . . Ego veni, ut vitam habeant, & abundantius habeant. Joan. c. 12.*

Memineris, thesaurum, qui tibi ad dispensandum creditus est, non tuum, sed Dei thesaurum esse; Deum esse hujus Dominum, & præcipuum dispensatorem, te vero purum & inutile instrumentum: væ si in tuam hunc convertas, & impendas gloriâ, quem ad solam Dei gloriâ promovendam expendere oportebat: *Væ, si convertant ad inanem gloriâ, quod ad lucra Dei acceperunt; paveant, quod in Propheta Osea c. 2. legitur: dedit ei argen-*

rum, multiplicavi ei & aurum, quo fecerunt Baal.
Bern. Ser. 45. super Cant. Si unquam in altari
cordis tui idolum vanitatis, & gloriæ inanis
erexisses, dejice, & frustatim illud com-
mune, & frustillorum collectorum cumulo
hanc inscribe Epigraphen: *non nobis Domine,
non nobis, sed Nomini tuo da gloriam.* Psalm
113.

4. Si tuis Ministeriis & functionibus spi-
ritualibus non animarum utilitatem, sed
temporalia lucra & commoda pro fine præ-
fixisses, longè adhuc vituperatione dignior
fores, cum res sacras rebus vilissimis, &
rebus terrenis longè inferioris conditionis
servire cogeres, atque ad has obtinendas
illis pro scala, quam pedibus calcamus,
utereris.

Ex horum numero & tu non postremus
fores, si Missas celebrares potissimum sti-
pendii lucro attractus, si divitum ac nobili-
um solummodo confessiones excipere, nec
aliis quàm istis ægrotis ac moribundis assiste-
re velles, pauperibus autem tam necessariam
opem, & consolationem subtraheres, ac de-
negares etiam impensè rogantibus, præsertim
hac de causa, quòd ab illis remuneratio-
nem non levem; ab his autem exiguam vel
nullam sperare possis pro hujusmodi labo-
ribus, & piis obsequiis; si cura tua maxima
vel unica foret, per redditus Ecclesiasticos,
& cotrasas his industriis pecunias ditare, ad
altiores dignitatum & nobilitatis gradus
pro-

promovere tuos, ac tuam Familiam impinguare nepotes.

Non huc ducunt nobis à Christo relicta vestigia, & exempla. Christus vocatus, ut sanaret filium Reguli, non comparuit in ejus palatio, ut acute observat S. Ambrosius, *Ne in Reguli filio videretur magis divitiis detulisse. L. 5. super Luc.* E contrario ultro se obtulit ad invisendum, & sanandum centurionis servum pauperulum, ne videretur id incommodi recusare, in se suscipere, ex vilipendio pauperis ægroti. Non minoris pretii est anima pauperis, & plebei, quàm sit anima nobilis, ac divitis: ambæ redemptæ fuerunt pretio infinitò divini sanguinis; unde oportet te parem utriusque curam habere, pari promptitudine tam uni quàm alteri succurrere; ausim dicere, etiam promptiùs & intensiore solitudine te adesse oportere pauperibus & rudioribus, quàm divitibus & cultioribus, cum Christi imago ex his clariùs eluceat, *qui cum dives esset, propter nos egenus factus est. 2. Cor. c. 8.* major etiam necessitas hos quàm illos premat, atque adeo etiam magis auxilio quam illi indigeant. Dum pauperibus operam impendis, minus periculi, ne operam perdas, invenies, & uberem fructum cum liquido solatio referes. Pauperes erant, qui avidiùs Christi conciones, & sermones excipiebant, & fructum centesimum reddebant, quod ipsemet Joanni

T 3

Bap-

Baptistæ iussit indicari: *Pauperes evangelizantur.* Matth. c. 11.

Illis præ aliis, quibus cura animarum demandata est, incumbit, ut hanc normam cautè observent, ne scandalizentur eorum subditi, potissimam partem plebei: si & tibi animarum cura ex officio demandata est, examina, & disquire conscientiam tuam, an non defectum aliquem in hoc puncto hætenus admiseris: dole, confundere, seriò propone, quòd imposterùm æquè promptè, vel etiam promptius accurrere velis ad sublevandos & juvandos pauperes, quàm divites; cum eandem causam, quæ te uti genuinum Ecclesiasticum moveat ad opem ferendam, divitibus & opulentis, non minùs invenias in pauperibus, & omni auxilio destitutis; atque ita cum Apostolo verè dicere poteris: *non quero, quæ vestra sunt, sed vos.* 2. ad Cor. c. 12.

Punctum secundum.

Considera media, quibus usus est Christus ad obtinendum felicem susceptæ prædicationis Evangelicæ scopum, videlicet, ad procurandam & promovendam Dei gloriam, & animarum salutem. Erant hæc media duplicis generis: primum erat, ut ipsemet multum ageret, & plura pateretur: secundum, ut socios sibi eligeret, & ascisceret, qui sibi in
des

desessam jungerent operam in spargendo semine Verbi divini.

1. Poterat Christus uti sua omnipotentia ad convertendos peccatores, & mundum, quem unico verbo *Fiat*, fecerat, etiam pari facilitate reficere, & reformare: sed noluit hunc adhibere modum, maluit ad hoc consequendum longe aliis uti modis & mediis, videlicet suis laboribus, sudoribus, itineribus, excursionibus, defatigationibus, vigiliis, jejuniis, precibus, fame, siti, aliisque innumeris incommodis heroicam patientiam tolerantis, non aliam ab hominibus compensationem vicissim recipiendo, quam contemptum, injurias, contumelias, calumnias, opprobria, invidias, ingrattudines, persecutiones, prodiones, traditiones. Hac arte uti voluit, ad demonstrandam excellentiam, & eminentiam operis a se suscepti, dilatandi, & promovendi gloriam Dei, & animas celo asserendi; ad quod obtinendum recte & merito expensas credidit omnes suos labores & dolores, & quidquid adversitatum, ac molestiarum toleratum est.

Percurre animo partem vitæ à Christo inter nos actæ, in quâ adversorum tolerantia, & invicta patientia satis demonstravit, quanti faceret, & quantum cordi haberet gloriam Patris sui Divini, & salutem animarum: pedem figere poteris in illis accuratius perpendendis, quæ in conversione

T 4

mulie.

mulieris Samaritanæ gesta sunt. Iter profectus
 quebatur pedes Christus sub ipsum meridi-
 em, quo tempore sol igneis suis radiis via-
 tores vehementius adurere & defatigare so-
 let; appulit tandem fessus, largo sudore
 diffluens, famelicus, & sitibundus ad pu-
 teum Sichar, præveniens, & expectans ad-
 ventum Samaritanæ mulierculæ vilis, abje-
 ctæ & pauperculæ, cum ipsamet ad haurien-
 dam & humeris suis asportandam aquam
 ex urbe ad fontem Sichar excurrere cogere-
 retur.

Quid ais ad hoc spectaculum? an non
 credis, quod Christus hoc exemplo tibi cla-
 re ob oculos ponere, & demonstrare vo-
 luerit, quanti momenti & pretii sit vel
 unam unicam animam Deo lucrari. Et tu
 exhorresces & contremisces ad minimam
 molestiam, & difficultatem, quæ superan-
 da erit, ut divinam gloriam promoveas,
 & periclitantem proximi salutem procu-
 res?

Exhauriendæ erunt longè majores mo-
 lestiæ, superandæ longè graviores difficul-
 tates pro re nullius vel exigui momenti
 pro lucello aliquo temporali, pro obtinen-
 do beneficio pinguiori, ut in concursu aliis
 æmulis præferaris, & palmam præripias, pro
 aliis vanitatum vanitatibus, titulis &c.
 Propter hos fines integras noctes duces in-
 somnes inter studia; libris impallesces, ce-
 rebrum exsiccabis, & plures chartarum sca-
 pos

pos volanti calamo effulis characteribus ob-
seres, & perarabis, hilari fronte, pacato
animo, etiam cum gaudio: è contrario
quando agitur de anima Deo aquirenda,
cum nausea recusabis, & vix adduci te fines,
ut pœnitentis confessionem paulò longio-
rem excipias; expectabit, & rogabit te pecca-
tor, ut patientes ei aures præbeas, & pater-
no consilio succurras in suis dubiis, & animi
perplexitatibus, è quibus seipsum extricare
non potest; & hunc tu indignabunda voce
allatrabis, & abiges, vel caperatâ fronte, ut
quæ habet exponenda, deproperet, impera-
bis: tantum fervoris & zeli non habebis, ut
vel unicam noctem, vel majorem hujus par-
tem vigil traducas, & moribundo,
cui anima jam in supremis labiis natat, assistas;
nimis grave & arduum tibi videbitur, die-
bus Dominicis & Festis adire templum, vel
extra pomæria excurrere ad instruendos ru-
des, præsertim juventutem elementis fidei
Catholicæ, & ad salutem scitu necessariis.
Nulli Christus pepercit labori, ut tuam lu-
craretur animam, & tu tum anxie tuis invi-
gilas commodis, tam timidè horres & fu-
gis etiam minima incommoda, cum alienas
animas Deo lucrari, & adducere debe-
res.

Disquire jam, quænam sint illæ difficul-
tates, quæ tibi supportandæ & perrumpen-
dæ forent pro salute proximi, & animarum
tibi concreditarum, quas tamen suasore

T s amore

a more proprio, tam studiosè subterfugis, & declinas, cum tamen te generosè vincere, & his imperterritè etiam obviare deberes, quando vides, id cessurum ad gloriæ divi-
næ incrementum, & ad proximi adjumen-
tum. Statue igitur firmissimè ingruentibus
difficultatibus etiam occurrere impavidè, &
cum Paulo dicere: *Ego me libentissimè impen-
dam, & superimpendam pro animabus.* 2. ad
Cor. c. 12.

2. Noluit Christus sibi soli reservare
splendidum, & nobilissimum officium lu-
crandi, & salvandi animas, sed tanti ho-
noris participes ac socios esse voluit imprimis
duodecim Apostolos, subinde etiam
septuaginta duos discipulos, qui sibi sociam
& subsidiariam jungerent operam in hac sa-
cra expeditione. In hac sociorum electio-
ne Redemptor noster præposuit ad tantum
opus inhabiles illis, qui habiliores videri
pòterant, nam majorem horum partem
conficiebant crudi, rudes, & ignorantes
piscatores, ut toti mundo pateret, propa-
gationem fidei Catholicæ non humanis vi-
ribus, & artibus, sed solius Dei adscriben-
dam esse virtuti. Verùm cum Deus nun-
quam imponat onus, quin simul compartia-
tur vires ferendo oneri sufficientes, nec
officium demandet, quin & dotes ad hoc
ritè fungendum necessarias adjungat, hinc
& discipulis suis contulit capacitatem, &
habilitatem ad perficiendum tam grande, &
arduum

arduum opus necessariam. Acceperunt potestatem pellendi morbos, & omnis generis infirmitates per donum miraculorum, & ipsa etiam dæmonia tam à corporibus, quam ab ipsa etiam anima per dona Spiritûs sancti die Pentecostes totâ plenitudine ipsi infusa.

Hic tantisper gressum siste, & examina, qui & quales sint illi, quos tu tibi socios, & adjuutores assumas in tuis ministeriis, & functionibus Ecclesiasticis peragendis, quales Vicarios, quales Sacellanos, quales Curatos. Si tu ea polleres virtute, qua Christus, ut una cum officio concedere posses etiam habilitatem, & dotes ad id necessarias, quæ alioquin desunt, posses & tu ad ejusmodi munia eligere ineptos, siquidem per ipsam electionem eos faceres ad illa aptissimos. Sed quia cares ejusmodi potestate, ac virtute, cave ne unquam ad officium eleves, quos prius non deprehenderit aptos, & ferendo oneri pares, ne sub hoc cum sua & aliorum ruina concidant; nullis te precibus, aut commendatitiis litteris etiam Procerum, Magnatum, consanguineorum, ne dicam promissionibus, vel Candidati talis blanditiis, suavi indole ad tuum genium facta persuaderi te sinas, ut ullum unquam ad munus Ecclesiasticum admittas, vel assumas, ad quod aptus non est. Constantem ac fortem te virum in hoc te demonstrasse necesse est, qui nec precibus, nec com-
men-

men-

mendationibus cedat, nec ineptè commendationibus repullam dare formidet.

Si in negotio tanto unquam defectum aliquem admisisses, desle, & emenda illum quàmprimùm fieri poterit. Conscientiæ tibi duceres, & meritò, si homini graviter ærotanti medicum constituisses, vel misisses imperitum, & in arte sua malè versatum; & nullo mordeberis scrupulo, si gravissimis spiritualibus animæ morbis laborantibus medicum mittas, & constituas ineptum, & ad jugulandas, perdendasque animas, & quidem æternùm, aptiorem, quàm ad sanandas & salvandas. Diutiùs & minutiùs hunc bolum rulina, & mastica, cùm reverà sit maximi momenti.

Multa monita, & praxes præscripsit Christus suis Apostolis & horum successoribus in munere & arte animas Christo lucrandi observandas: has legere fas est apud S. Matthæum c. 10. ex his tamen duntaxat primum, & ultimum considerandum propono. Primum ita habet: *gratis accepistis, gratis date.* Si hoc monitum non observes, fructum exiguum à tuo proximo, à tuis ovis referes. Nihil magis offendit animos sæcularium, quàm si advertant, homines Ecclesiasticos longè ardentius inhiare suæ crumenæ, quàm animarum lucris, diligentius curare temporalia, quàm spiritualia. Quomodo tu persuadebis aliis, ut omnem affectum à caducis & transitoriis bonis avulsu
sum

sum transferant ad bona æterna, si te ipsum ita pecuniis & lucris temporalibus affixum videant, ut nec pedem sustollas è terrâ, & gressum facias ad adimplenda ea, quæ officii tui ratio, & obligatio à te exigit, nisi mercedis, & lucri certa spes te animet, & excitet.

Hoc omnium optimè advertit S. Patriarcha Ignatius, unde suis filiis ad salutem animarum procurandam educatis severè prohibuit, ne quid stipendii, vel mercedis admittant pro missis, concionibus, Sacramentorum administratione, instructione in scholis, pro sepultura mortuorum, in suæ Societatis templis.

Figat avaritia sedem in officinis, in tabernis, in fornicibus mercatorum, in tentoriis militum, in curiis prophanis, sed nunquam nidificare sinatur in sacra sacerdotum bysso, vel purpura, in thiaris & infulis, in templis, vel altaribus, in sacris dīasteriis, & consistoriis, aliàs fructus speretur nullus ex concionibus, adhortationibus, & quibuscunque aliis Ecclesiasticis laboribus & obsequiis. Dies non abit, qua non versiculum illum repetas Psalmi 118. *Inclina cor meum in testimonia tua, & non in avaritiam:* Recita illum nunc, & deinceps semper seriò, ex corde, cum protestatione coram Deo, quòd aliam mercedem pro tuis laboribus non quæras, non cupias, quam ipsum Deum:)

um: *Portio mea Domine, pars mea Deus in aeternum.* Psal. 72.

Hinc progredere ad considerandum alterum monitum à Christo Apostolis relictum, & præscriptum, nempe dum alios salvare volunt, ne perdant seipfos; quid enim juvaret si Deo totum mundum subjicerent, & lucrarentur, interim propriæ animæ jacturam facerent: *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?* Matth. c. 16. Charitas ordinata incipit à seipsa.

Exemplum sume à Christo, qui, licet non indigeret ulla cultura, vel præparatione animi, tamen ad nostram doctrinam, & directionem nunc ad 40. dies se ab aliis negotiis abstraherat, & recipiebat in desertum, nunc tempore diurno in templum, nunc tempore nocturno in solitudines ad orandum. Prima semper cura est, ut tibi metipsum invigiles, deinde aliis, ne & tu de teipso dicere, & fateri cogaris: *posuerunt me custodem in vineis: vineam meam non custodivi.* Cant. c. 1.

Miserum te! si revera talis esses custos, fore enim verò, ut Nicolaus Pontifex optime dicit, similis faci aut cereo, qui aliis lucendo, seipsum absurbit; *cerea fax accensa, quæ sibi detrimentum præstat, aliis lumen in tenebris administrat.* c. sciscitantib. 15. q. 8. Esto concha ad fontem, ait S. Bernardus Serm. 78. in Cant. non canalis, qui tantum aquæ trans-

transfundit, quantum accipit, & tibi nihil
reservat, aut vix guttulas aliquas. Tu sua-
des, & persuades aliis devotionem, man-
suetudinem, humilitatem, patientiam; &
quantum tu tibi retines de omnibus his vir-
tutibus? quàm parum, imò nihil. Altum
menti tuæ imprime, & pro fundamento po-
ne hominis Ecclesiastici dictum illud Apo-
stoli ad Hebr. c. 2. *Abundantiùs oportet nos obser-
vare ea, quæ audivimus, ne fortè superare fluamus.*

Punctum tertium.

Considera, Christum ipsum ex suis con-
cionibus sæpè nullum retulisse fructum;
hinc conclude, tibi quoque hac de causa
ab officio concionandi non desistendum,
vel animarum curam relinquendam, quam-
vis advertas te littori loqui, & in sterili se-
minare arena.

I Animadvertite cum S. Augustino *l. 1. con-
tra Cresc. c. 8.* Christum sæpius egisse cum
Pharisæis, Saducæis & Judæis de rebus ip-
sorum salutem concernentibus: nunc eos
interrogabat, ut eos propriis suis respo-
nibus convinceret, nunc eorum responde-
bat interrogationibus, quamvis has potius
ad se tentandum, & capiendum in sermoni-
bus non ignoraret, & prævideret, omnes
suos conatus frustraneos futuros legimus
quidem in Evangelio, Christum sermonem
fecisse

fecisse tam in templo, quàm extra templum, in plateis, in privatis domibus, ad mensas, non tamen legimus, semper suos auditores ad frugem fuisse conversos. Imò si verum fateri velimus, sicut Christus Apostolis suis potestatem concessit patrando miracula majora, quàm ipsemet patravit, ita legimus ab Apostolis & horum successoribus pluries & plures ex infidelibus & peccatoribus ad veram fidem adductos fuisse quàm ab ipsomet Christo: ita nos docere, & hanc doctrinam fixè inculcare voluit suis operariis, nunquam desistendum à laboribus Apostolicis, etiamsi nullus, vel exiguus fructus illis respondeat.

2. Hinc nunquam manum ab aratro retrahere, ex tædio, quòd omnes labores & sudores in aërem jactatos, & in vanum sparsos credas: crede potius, non carere fructu monita illa, documenta illa peccatoribus data, vel in concionibus proposita; quamvis fructus non statim appareat.

Fructus, qui ex hac semente nascitur, triplex est. Primus Deum concernit: nam hinc novus splendor gloriæ & laudis accrescit non minùs misericordiæ, quàm justitiæ divinæ: Misericordiæ quidem, nam sicut splendorem alicujus civitatis auget multitudo fontium, qui uberrimam, & limpidissimam aquam omnibus promiscuè propinant, etiamsi pauci sint, qui illam hauriant, ita munificentia divinæ misericordiæ exigit, ut copiosam

piosam ubique effundat aquam doctrinæ Evangelicæ, quamvis hujus pars maxima diffluat, illorum vitiò, qui hunc saluberrimum laticem haurire negligunt.

Justitiam verò magis illustrat hæc Dei liberalitas, cum illam justificabit, & ab omni injustitiæ macula purgabit in extremi die judicii; *ut justificeris in sermonibus tuis, & vincas, cum judicaberis.* Psalm. 50. Tunc enim reprobus iudex ad oculum demonstrare poterit, nullam ipsis justam suffragari causam, qua perditionem suam excusare possint, cum non defuerint unquam, aut usquam, qui illos etiam quando cæco impetu pertinaces in interitum ruebant, admonebant, dehortabantur, & viribus omnibus nequicquam retrahere conabantur; & tibi parum videbitur, quando ita Dei misericordiam amplificare, divinæ justitiæ partes tam strenuè agere, & hujus causam coram universo mundo tam gloriosè evincere poteris?

Secundus fructus proximum spectat: nam etsi nunc statim ex jacto semine Evangelico speratum fructum progerminare, non videas; fors illum paulò post longè uberiores videbis: an Agricolæ ullus est super terram, qui ex semine agris, ac terræ etiam fertilissimæ sulcis injecto statim videat, aut expectet protuberare culmos, & maturis granis curvæscentes spicas? videbit tamen hæc omnia suo tempore. Dolor vulneris non statim sentitur post ictum. Saltem aliquoties,

U vel

vel aliquandiu auditores tui post tuam adhortationem cessabunt à peccatis: & quantum meriti non est, vel unum duntaxat peccatum grave impedivisse? an non omnis labor bene impensus iudicandus, si etiam hoc unum obtineatur? Nec ideo desistitur ab exhaurienda è navi sentina, quia post exhaustam denuo nova in navem penetrabit aqua.

Tertius fructus in teipsum redundat, si enim aliis non profunt tui labores, profunt tibi, faciunt, ut tuo fungaris officio, ut obligationi tuæ satisfacias, ut meritum colligas, non exigitur à te, ut peccata tollas, & impediās, sed ut sedulo adnitaris, & media, ac remedia subministres ad tollenda, & impedienda peccata: *curam exigeris, non curationem* dixit Bernardus ad Papam Eugenium l. 4. de confid. Non es Curatus animarum, ut illas cures ac sanes, sed ut curam earum geras sedulam: *Rectorem te posuerunt; curam illorum habe.* Eccli. c. 32. Merces, quam semel recipies non commensurabitur fructui, quem retulisti, sed labori, quem impendisti: *unusquisque mercedem accipiet secundum suum laborem.* 1. Cor. c. 3. Ob alienam pertinaciam in peccato, nihil tibi de merito, & mercede decedere potest, quin ob hoc ipsum magis augebitur utrumque, nam labor tuus indefessus, conjunctus cum justo cordis dolore, quo plangis inflexibilem proximi duritiam, auget perfectionem talis operis, atque

atque adeo etiam meritum ac præmium, sicut longè majoris meriti ac pretii est oratio inter ariditatum spinas, quam inter spiritualium consolationum rosas peracta.

Itaque generosos resume spiritus, & te ipsum anima ad sudandum & laborandum pro Deo, & animarum salute, quemcunque tandem exitum sortituri sint tui labores ac sudores.

Protege nos Domine tuis mysteriis servientes, ut divinis rebus inhærentes, & corpore tibi famulemur, & mente, Per Christum &c.

Dies octava.

Meditatio decima sexta.

De agonia Christi in horto Gethsemani.

Peractâ oratione præparatoriâ præmittes meditationi sequentia duo præludia.

1. Pone tibi ob oculos Christum in horto Gethsemani tristitiâ profundâ oppressum toto corpore madere sanguineo sudore; ex altera verò parte imaginare tibi interea

U 2

ad-